

**www.e-rara.ch**

**Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...**

**Humel, Johann Henrich**

**Tiguri, 1670**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CIX.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## SERMO CIX.

Textus idem, Philem. v. 12.

Σὺ δὲ αὐτὸν, τὰ τέσι, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα,  
προσλαβέ.

Tu autem eum, id est, viscera mea excipe.

Exordium.

**D**ll. D. Apostolus Paulus à Deo ornatus fuit multis, iisque præclarissimis & celestibus virtutibus, imprimis autem in ipso splendebant duæ virtutes, quæ celebrari satis nunquam possunt, *Humilitas, & Charitas.*

Non facile dictu est, utra harum virtutum in ipso major fuerit & præferenda. Eas conjunxit D. Apostolus Col. 3: 12. innuendo, quod semper unâ sint apud Electos, dilectos Dei & Sanctos; & quod non exeant nudi, sed amici semper hisce ornamentis humilitatis & charitatis; prout etiam hæc conjunctim reperit in electo vase D. Apostolo Paulo, ut apparet in omnibus ejus Epistolis, imprimis autem in hac ad Philemonem, utraque cernitur.

*Humilitas* ejus apparet in eo, quod ipse tantus Apostolus tam fideliter causam egerit miseri simul & fugitivi ac infidelis servi, pro quo intercedit, ut in gratiam recipiatur.

*Charitas* autem in eo, quod ipsum inter alios titulos nominat cor suum & viscera, rogans ut Philemon eum velut cor suum recipiat. Si *oculum* suum vocasset, multum dixisset, oculi enim nostri nobis sunt præciosi & delicatissimi, solemus quippe dilectissimos nostros appellare ocellos nostrôs, queis parcere volumus; si locutus fuisset de *manibus*, multum esset, ministrant enim nostris necessitatibus; si de *pedibus*, multum esset, nos enim de loco in locum portant; sed omnia hæc Apostolus minora ducit, dicitque Onesimum *cor suum*, imò *viscera*, quasi sedem partium vitalium, amoris & affectuum, quasi dicat, hunc mitto, quem ex animo diligo, & sic hoc verbo tenerrimum rarissimi amoris affectum declarat, prout explicationem hanc vocabuli habemus ex ore ipsius Pauli, Phil. 1: 8, ubi Paulus hoc ipsum vocabulum, quod in Textu habemus, adhibet, & Deum scrutatorem cordium testatur, quod Philippenses suos diligit in visceribus Jesu Christi, tanto amore, ut eos quasi in visceribus gesserit, imò eos respiciat ut in Christo Jesu, qui eos ita dilexit, & Apostolo sibi adducendos tradidit.

Δ. Videris ergo ex prælectis & excitatis, Philip. 1: 8. verbis: *Qualis debeat esse amor veri Christiani erga proximum, imò fidelis Ministri erga auditores suos, præsertim eos, qui per ipsum ut medium & instrumentum conversi sunt, scilicet ex intimo corde: ita ut Deum omniscium interioris scrutatorem testem invocare audeat, prout citato loco Apostolus explicat,*

& 1. Thess. 2: 8. Diligere debemus omnes homines vel ideo quia homines sunt, Dei scilicet creaturæ ejusdemque imago. Quodvis animal, inquit, Sirach. 13: 18. amat sui simile, sicque quivis homo proximum suum diligere debet utpote sui similem: ubicunque enim humanitas, ibi sit humanus amor oportet, Luc. 10: 33. Diligere debent Christiani Christianos, Rom. 13: 8. Eph. 5: 2. Hebr. 10: 24. & hoc in Christo, 1. Joh. 5: 1. 1. Pet. 2: 17. Hebr. 13: 1. Phil. 2: 1, 2. Pastores debent diligere omnia membra Ecclesiæ concreditæ, sic noster Paulus, quare eos suos dilectos vocat, 1. Cor. 10: 14. 1. Cor. 15: 58. Phil. 4: 1. 1. Thess. 1: 4. Imprimis autem eos ex auditoribus, quos mediante benedictione Dei in ministerio lucrifecerunt: hos speciatim amare debent, sic Paulus suos Galatas, cap. 4: 19. sic hic suum Onesimum, & Philippenses, quos ut cor suum æstimat, tam sincerè & ex animo, ut Deum ejus rei testem invocet.

Deus ipse, cujus bonitas patet in omnes creaturas, speciatim ac singulari amore completitur novas creaturas; filios, quos regenuit, paterno affectu diligit; sicque eis exemplo præit, ut diligant singulariter quos regenuere. Propheta hunc Dei erga suos amorem describens, dicit, eum ipsos amare ut pupillam oculorum, Dent. 32: 10. Zach. 2: 8. Zacharias Sacerdos, singularem hanc Dei dilectionem vocat *cordialem*, seu intimam *misericordiam*, Luc. 1: 7, 8. & ut Deus Pater, sic Filius Jesus Christus peculiari modo dilexit suos, quos ipse redemit & convertit; est ipsis misericors redemptor, Hebr. 2: 17. Matth. 12: 19, 20. Hinc non sine causa dicit Joh. 15: 12, 13. & 13: 30. Apostoli ad exemplum Jesu Christi etiam sic dilexerunt omnes illos, quos instrumentaliter converterunt. Sic Paulus 1. Thess. 3: 7. seqq. & sic alii. Nullum præceptum est in lege, quod magis urgeatur; nullum in Evangelio, quod magis inculcerit, quam dilectio hæc cordialis & sincera, quæ omnes decet, Lev. 19: 18. Matth. 5: 43. Rom. 13: 9. Gal. 5: 14. Rom. 12: 9, 10. & alibi. Talis celebratur in credentibus, Act. 2: 44, 45. Et talis hodie in omnibus debet reperiri; præsertim Ministri suos sic debent diligere, ut Deum testem & inspectorem invocare audeant, Sic Paulus Rom. 9: 1-3. 2. Cor. 1: 11. Gal. 1: 1. Tim. 5: 2. Tim. 4: sic Moses dilexit suos, Exod. 32: 32. Videris ex omnibus hisce testimoniis & exemplis veritatem doctrinæ, &c.

Et hoc fieri debet ob multas easque gravissimas rationes:

1. Quia maximo sæpe labore per dies & annos multos opus est ad unius animæ conversionem. Non exiguus labor est, hominem ad Deum perducere, sed molestus valde & sollicitudinis plenus, & quidni is, qui tali defunctus labore apud quempiam fructum sentit, propenso in talem ferretur amore? Mater si extraordinarios in partu habuit dolores, infantem genitum eò amat tenerius, subinde dicendo, Hunc

Doctrina.  
Amor no-  
ster erga  
Sanctos de-  
bet esse fer-  
vidus.

Rationes.

amo tenerimè, magno enim mihi consti-  
tuit, non sine dolore eum nacta sum; & ob gaudium  
quòd homo genitus, oblivioni dantur omnes  
dolores, & infans in delitiis est, Joh. 16:21. *Ben-  
jamin* erat dilectissimus filiorum Jacobi, quia  
matre moriente genitus, quæ ex partûs angu-  
stia decessit; fructus scilicet servatus, at arbor  
cecidit; tanti constitit Jacobo, & ideo eum vo-  
cavit Benjamin, *filium dexterae* Gen. 35:18. Si  
igitur liberi multo dolore parti præ cæteris  
amantur tenerius, quidni fideles Pastores ama-  
rent singulariter eos, quos multo cum labore &  
dolore Deo per conversionem genuere? Novi-  
mus quantum doloris & anxietatis sustinuerit  
Apostolus cum Galatis suis; eâ re ipsos nomi-  
nat filiolos dilectos, quos cum dolore parturiat,  
Gal. 4:11-19. apparet idem ex declaratione,  
quam de Israëlitis suis facit Rom. 9:1-3. Eun-  
dem affectum videre licet in Mose, qui hunc po-  
pulum quasi sinu gestavit instar matris filium  
lactantis; en affectum quem demonstrat tum,  
cùm Deus populum excisum voluit, Exod. 32:  
31, 32. ubi affectum in eum palàm facit, ut  
quem tanto cum labore duxit, & iram ab eo  
multoties avertit, &c.

2. Si hunc amoris affectum habemus in  
eos, qui ad conversionem perducti sunt, testa-  
tum facimus, nos esse ex electis Dei, & illum in  
nobis habitare, 1. Joh. 4:12. Col. 3:11, 12. ubi  
scilicet hæc cordialis commiseratio, ibi electio  
& salutis certitudo; Johannes quippe idem te-  
statur, hunc affectum fructum esse fidei, & salu-  
tis testimonium, 1. Joh. 3:19, 14.

3. Hic amor *τεκμήριον* est verorum disci-  
pulorum Christi, quo ab aliis discernuntur. Hoc  
inculcat Christus Joh. 13:34, 35. Si scilicet si-  
gnificare volumus, nos in Schola Christi edu-  
catos & edoctos, imò Christum in nobis habita-  
re, debemus amare, imprimis nostros quos con-  
vertimus, & quidem sic, ut Deum testem habea-  
mus.

4. Dilectio hæc cordialis est summa legis,  
ubi exercetur ibi religiosè in viis Domini ambu-  
latur: *Nemini quidquam debere præter dilectio-  
nem*, Rom. 13:8, 9. Encomium magnum hoc  
est charitatis, quòd unâ summâ legem Dei &  
præcepta ejus singula exhauriat. Confer Gal. 5:  
14. Col. 3:14. 1. Tim. 1:5. sicque videris, om-  
nes Christianos inter se debere diligere, imprimis  
Pastores eos, quos converterunt, ex dictis  
etiam rationibus, &c.



## SERMO CX.

*Textus idem, Philem. v. 12.*

Σὺ δὲ αὐτὸν, τετέσι, τὰ ἔμα σπλαγγνα,  
προσλαβέ.

*Tu autem eum, id est, viscera mea ex-  
cipe.*

I. **A**T enim quomodo unum & alterum  
hodie à nobis fervetur, deplorandum  
magis quàm describendum venit. Verissimè  
impletum, quod Christus prædixit: nempe  
temporibus ultimis charitatem fore frigidam,  
Matth. 24:12. Ultima adsunt tempora, leges  
patiuntur, charitas friget inter homines. Quid?  
inter Christianos, imò & inter Pastores & audi-  
tores, Magistratum & populum. Aut ubinam  
sunt, qui cum Apostolo Deum testem amoris  
intimi & sinceri invocare audeant? Ex levitate  
animi talibus quidem verbis sæpe utuntur, sed  
verus amor non apparet in ipso opere; nescio  
an amor hoc tempore vel abolitus, vel proscri-  
ptus à nobis in cælum discesserit; nescio unde  
proveniat ut virtutem hanc hospitio excipere  
nemo velit. Nobilis sanè est virtus, quam de-  
scriptam dat Apostolus 1. Cor. 13: egregius  
fructus Spiritûs, prout in frontispicio ponit  
Apostolus, Gal. 5:22. quia omnes reliquos facit  
matturos & perfectos: quid enim gaudium sine  
charitate? quid pax sine eadem? Philautia vi-  
get maximè hoc tempore, ut 2. Tim. 3:2: vati-  
cinatus est Paulus; at non virtus, sed vitium  
est; non spiritûs, sed naturæ fructus, comitem  
habens invidiam, & odium proximi; & hoc vi-  
tium à fronte est, cæterorum quippe scaturigo;  
est ignis fervidus satis, at qui amorem proximi  
exurit, ut inde deficiat & pereat. Amor in super  
mundi, & rerum quæ in eo sunt, de quibus 1.  
Joh. 2: percommunis est; at non est ex Deo,  
prout ille de quo loquimur, qui est à Spiritu  
sancto, eum in corde plantante eo sine, ut fructus  
ejus patefaciamus ad proximi consolationem,  
ut opem feramus omnibus egentibus, præfer-  
tim autem corda sanctorum reficiamus; eorum  
imprimis, qui nuperrimè per nos conversi sunt.  
Johannes enim ait, 1. Ep. 3:18. *Ne linguâ solâ,  
sed ipso opere diligamus*: nec amor verè amor  
est, sed umbra tantum amoris, qui proximo nul-  
lum adfert fructum & emolumentum.

Inquis cum illo Legis doctore, Luc. 10:  
20. *Quis est proximus meus?* Fac quod Christus  
jussit ibid. vers. 38. Vult enim hunc amorem  
ejusque officia præstanda non proximis tantum  
ex consanguineis & vicinis, qui in se collata  
beneficia referre nobis possunt, sed omnibus qui  
nostræ opis sunt indigi, licet vel hostes sint, qua-  
lis Samaritanus respectu Judæi, scilicet respici-  
endi ut homines, qui Dei imaginem saltem  
exter-

Usus I.  
Lamentan-  
da est raritas vere  
charitatis.